

Anno Domini 1767. die 14. Julii, Zagrabiae, in Curia Praepositurali, Regnotenus ordinatae sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Stephani Pucz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Belgradiensis, Praepositi Majoris et Canonici Senioris Cathedralis Ecclesiae Zagradiensis, celebratae Deputationis

A c t a.

Perlectum est Benignum Suae Majestatis Sacratissimae ddo. 17. Junii Anni modo labentis Viennae Austriae emanatum Mandatum, quo mediante Sua Majestas Sacratissima Benigne resolvere dignatur, ut in locum ad differentiarum Statum inter Provinciale et militare vigentium compositionem ordinatae Commissionis alia localis Commissio in Croatia exeat, per quam primum et ante omnia Confinia militaria necessariis terris dotentur, praeattactae vero differentiae hactenus vigentes per occasionem duntaxat hanc decendantur ac sufferantur.

Quemadmodum duplex est attacti Benigni Mandati Regii membrum: alterum quippe, ut Commissio haec Confinia militaria dotet; alterum, ut per occasionem hanc vigentes statum inter Provinciale et militare differentias decadat, ita duplicem et diversam etiam esse debere ejusdem considerationem. Nimirum quantum decisionem vigentium differentiarum adtinet, ut Suae Majestati supplicetur, quatenus a Commissione hac Excellentissimus Dominus Baro Generalis a Beck vel ex eo arceatur, quod idem Generalis et Actoris alioquin et in causam attracti personam in eadem Commissione sustinebit, tanto a fortiori, quod Excellentissimus Dominus Comes Banus vigore legum Patriarum, seculorum usu stabilitarum, omnium ejusmodi Commissionum Praeses a Praesidio ejusdem Commissionis amotus habeatur. Interea etiam, donec alter loco Generalis a Beck Con-Commissarius Benigne resolvatur, censet Deputatio, neminem e gremio Dominorum Statuum et Ordinum ad Commissionem illam denominari debere.

Quantum vero Punctum Commissionis, Dotationis militis, concernit; siquidem Inclyti Domini Status et Ordines determinare dignabantur, ut Deputatio omnia, ex quibus praemissam Dotationem humillime deprecari deberent, rationum momenta excutiat, Repraesentationemque eatenus ad Augustum Thronum Regium porrigendam compillet, ac pro revisione Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus praesentet: opinatur Deputatio, Repraesentationem hanc ex his potissimum constare debere fundamentis; et quidem:

Primo. Exprimendus erit, quanto sensibilibus possibile erit, dolor Dominorum Statuum et Ordinum, quo intellecta Benigna hac Resolutione Regia perculsi erant.

Secundo. Revocabuntur in memoriam tam praeteritis seculis, quam recentioribus temporibus fidelia Augustae Domui Austriacae praestita servitia.

Tertio. Demisse proponetur, Dotationem hanc militis sinistra Praefecturae militaris Informatione, citra omnem necessitatem, contra leges et Diplomata, imo contra rationem status quaeri, nimirum ex eo: quod plurima sint tenuta in Confinio, quae partim non excoluntur, partim ex annuo censu dantur; esse etiam plures Confinarios, qui ingentem terreni superfluitatem possident: hinc defectum esse in Commendante, qui haec obligationi militandi non adrepartitur. Sylvas